



## DISCITE JUSTITIAM MONITI.



Qui in Populi Sceptum, pariter qui in vincula ducti  
Pœna quibus Duplex, nec satis una fuit  
Discite Justitiam moniti, quid parcere vobis  
Interit populum, vindice, teste Deo.

## COMMENTARIUS.

1 cet desidia, incurriaque Regnantium, tot tantisque maneat rationibus, exemplis, ac testimoniis damnata, tamen quia sæpè in aliquibus pullulat, & crebris denuò conspicitur vigere radicibus, stili quoque acrioris vigorem exposcit, ut quo ad fieri possit radicitus amputetur. Ideòque, ut eosdem sui muneris attentiores, & observantiores efficiam, hoc Emblemata superioribus addo, quo ostenditur, quibus pœnis, ac damnis, qui contrarium fecerint, subjiciantur, ex Mossynæcorum consuetudine sumptum, de quibus ita Pomponius Mela (a) scriptum reliquit: Mossynæci turres ligneas subeunt, unde & illis nomen, quasi Turriculæ: Notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur, promiscuè concumbunt, & pallam Regem suffragio deligunt, vinculisque, & arctissima custodia tenent, atque ubi culpam pravè imperando meruerit, inedia totius diei efficiant. Similem morem in ignavis Regibus puniendis de Burgundiis, & Ægyptis recenset Ammianus Marcell. (b) etiam si quid fortuito minus prosperum contigisset, his verbis: Appud hos generali nomine Rex appellatur Otendinos, & ritu veteri, potestate deposita, removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli vel segetum copiam negaverit terra. Quemadmodum solent Ægyptii casus ejusdem assignare Reçtoribus.

2 Idemque ex Stobæo Nicolaus Boæmus (c) affirmat, & ante omnes Apollonius (d) Rhodius, cujus Scholiastes Ephorum, & Nymphodorum ad idem allegat, & novissimè Noster de bonis literis optimè meritis D. Joseph Gundisalvus de Salas (e), Calatravensis Militiæ dignissimus Eques, ex suprâ dictis contra Melam advertens, prædictam inediam, non unius tantum diei fuisse, sed ex eo ipso, quo Rex malè judicando, aut alio quovis modo, rectam gubernationis orbitam excessisset, perpetua media usque ad mortem damnari solere.

3 Ut inde cognoscas, vel inter Barbaros, Regnum non solum splendidam servitutem fuisse, ut suprâ ex Antigonè dicto retulimus, verum & compeditam; Diademate ipso, non minùs caput, quam pedes arctante, & ultra pœnam, quæ ipsum regnandi munus secum affert, aliam, & præsentissimam, pro incuria qualibet, comminante, ut illud nostrum carmen ostendit:

Pœna quibus duplex, nec satis una fuit.

Aqua

(a) Pomon. Mela lib. 1. cap. ult.  
(b) Ammian. Marcell. lib. 28.  
(c) Nicol. Boæm. de morib.

(d) Apol. in Argonau. Horo Covar. in Emblem. lib. 2. fol. 20.  
(e) D. Joseph. à Salas in notis ad Melam. pag. 279.

4 Aqua Mossanycorum consuetudine, non multum alia Trapobanensium distabat, qui, ut post Plinium (g), Alexander ab Alexandro, (h), & alii (i) recensent, Reges, se malè in Regni administratione gerentes, statim deserebant, & arcta custodia tentos, solos relinquebant, ita ut nemo deinceps ad eos accedere, vel cum eis colloqui posset. Quod operabatur, ut ipsi prætristitia citò deficerent, cum juxta Imp. Theodosii & Valentiniani constitutionem (k), nulla major pœna reperitur: Quàm esse inter homines, & hominum carere suffragiis.

5 Lenius quidem se habebant Ægyptii, sed tamen suo more, ac modo, suorum Regum ignaviam inultam non sinebant. Nam eodem Alexandro (l), ex Diodoro Siculo, recensente, comperimus, eis in usu fuisse, defuntos Reges per eum qui proximam post ipsos tenebat dignitatem, antequàm sepulturæ darentur, syndicari, in omnemque vitæ seriem, & ipsorum dicta, factaque, & an fuerint fortissimè præliati, an segnes, & dessides, inquiri, & exalto suggestu in maximo omnium conventu perlegi, & recenseri: & si vitia prævalerent, honore funeris privari, atque in sepulchrum cadaver relinqui.

6 Armuzii planè crudeliores, qui, ut tradit Hieronymus Ossorius (m), quoties Regni Procuratoribus visum esset, Reges jure Regis liberius, quam ipsi vellent, usos fuisse, oculis eos orbabant, & in ædibus Regis, cum uxoribus, & liberis inclusos, custodiebant, omnia ad victum necessaria largè ministrantes, & ex regia stirpè puerum aliquem deligentes, simili calamitati pro Tyrannico eorumdem arbitrio subjectum: quod Alphonus Alburquerqueus, cum quindecim Reges ita miserè affectos, reperisset, in posterum abolere curavit.

7 Ephori quoque, ut Xenophon (n), Plutarchus (o), & alii (p) literis tradiderunt, eam sibi apud Lacedæmonios, sive Spartanos potestatem, atque auctoritatem in Reges usurparunt, ut licèt primùm eorum Administri essent, postea in ipsos jus vitæ, ac necis exercuerint, & quoties pravè, aut segniter aliquid egisse censebant, judicialiter animadverterint. Unde in morem pertransiit, ut acersentibus Regem Ephoris, semel atque iterum contradiceret, tertio vocantibus, surgere, & ad eorum tribunal pergere teneretur, & sic Agim, Optimum Regem, judicarent, & strangularunt (ut jam suprâ (q) recensui similem nostri temporis casus Regis Angliæ perpendens) quousque Cleomenes Leonidæ filius, hanc Ephorum tyrannidem sustulit, facti sui causam populo reddens.

8 Quæ omnia eo tendunt, ut qui celsum Regiæ Majestatis locum conscendunt, sciant, quibus se addicant legibus, quæ onera, quæ supplicia ubique gentium, huic muneri insint, quid ab eis desiderent, atque exigant populi, qui ipsos in talem celsitudinem evexerunt, & non solum ut præsidet, sed ut præsidium rerum, ac fortunarum suarum constituerunt. Et quòd cum secundùm Hesiodum (r):

Hac una Reges sint olim sine creati,  
Dicere jus populis, injustaque tollere facta.

Cui adridens Cicero (s) dixit: *Fruendæ justitiæ causa olim benè moratos Reges constitutos.* Discant se juris esse sequestros, boni, & æqui arbitros, sponso justitiæ, Hymenæos pacis, Feciales fortunæ communis, subditorum suorum tutores non tollitores, & ut verbo dicam, & cum Virgilio (t) dicam, ex quo lemma nostri Emblematis sumpsit:

Discite justitiam moniti, & non temere Divos.

9 Cujus versus in simili meminit Petarcha (u) docens Reges, vel coactos, ad justitiam suis ministrandam adigi posse, & Tyrannum alloquens ac malè moratum Regem, quem dolentem induxit, se ob hanc causam à Regno fuisse dejectum, ita eum solatur: *Sponè descendisses melius, optimè verò non ascendisses. Nunc qualitercumque descendisses, bonum, idè quia justum; meliorque coacta justitia, quàm voluntaria injustitia. Audite impium Tyrannum apud inferos exclamantem. Discite justitiam moniti. Audite & me apud superos exhortantem, discite justitiam vel coacti: hæc enim tempestiva hic, utilisque ni respicitur: illa ibi admonitio utique sera est, frustra enim discitur, quod fieri amplius non potest. Ponite verò jam tumentes, animos, superbunquæ & ferrox dominandi votum ponite, & si non prius, saltem post Tyrannidem amissam, & optandi, quod jam assequi non potest, finem facite. Si non justitiæ, saltem verecundiæ hoc præstate, ut mutatis moribus, & novo habitu mentis assumpto, amissione divitiarum ditiores facti, quantum fortunæ detrahatur, tantum animis addidisse videamini.*

Et

(g) Plin. lib. 6. cap. 22.  
(h) Alex. 3. Gen. cap. 5.  
(i) Salic. cap. 56. vel 66. Mart. Capella lib. 6.  
(k) L. hi. qui ad sanctam, C. de apostatis.  
(l) Alex. lib. 3. cap. 7.  
(m) Ossor. lib. 10. ver. Eman.  
(n) Xenophon. in Repub. Lacon.  
(o) Plutarch. in vita Agis & Cleom.

(p) Stob. serm. 42. de legib. Alex. lib. 6. cap. 34. la-  
te Nicol. Cragius de Repub. Laced. lib. 2. cap. 4.  
(q) Sup. Emblem. IV.  
(r) Hesiod. in Theogon.  
(s) Cic. lib. 2. Off.  
(t) Virgil. 6. Æneid.  
(u) Petarch. de rem. adv. fort. lib. 2. Dialog. 81.

10 Et hinc sæpè, variis seculis, variisque in nationibus (x), contigisse videmus, desides atque ignavos Reges, vel injustè, aut tyrannice in suis actionibus procedentes, divinis, & humanis judiciis Regnis, & Imperiis, etiam alioqui legitime partis, privatos, atque exutos fuisse, ut Roma toties in Tarquino superbo, & aliis postmodum purpuratis, & adoratis Cæsaribus vidit. Constantinopolis in suis ferè omnibus, quorum vix per annum stabile Imperium fuit, & presertim in Constantino Copronymo, quia in Sanctorum Imagines, & in Beatæ Virginis contumelias blasphemus erupit. Germania in Carolo IV. cognomine *Crasso*, Henrico IV. Venceslao Ignavo, & aliis, quorum historias latè in ipsorum Annalibus videre licebit. Francia in Carolo Simplici, atque Hilderico, quem ut ignavum Regem flocci facere cœpit, nec à contumeliis temperans, ille umbraticum, ille pupparum, alius puerorum Regem eum appellabant. Anglia in Edovardo II. qui quoniam ignavissimus erat, ab uxore Isabella, & proceribus captus, Regno delectus, & in carcere necatus fuit, substituto ei Edovardo III. ut *Polydorus Virgilius* (y) enarrat. Hispania nostra in Ruderico, Sanctio Capello Lusitano, Labreto Navarro, & aliis, quorum nomenclaturam passim alii Auctores adducant.

11 Sic Deo verum reddente, quod in Ecclesiastico (z) pronuntiatur, *Regnum à gente in gentem transferetur, propter injustitias, & injurias, & diversos dolos*; & iterum apud Divum Matthæum (a): *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam*. Quas Domini voces ad omnes ignavos, impios, & iniquos valere, graviter D. Augustinus (b), & alii sancti Patres nos admonent, & ex Ethnicis idem ante ipsos præsensit Demosthenes in Oratione Olynthiaca secunda, & Seneca (c) Tragicus inquit:

Ubi non est pudor,  
Nec cura juris, Sanctitas, Pietas, Fides,  
Instabile Regum est.

12 Et est lectu dignus Salvianus (d) qui non contentus docuisse, peccatorum clamorem Deum velut invitum ad punitiones ejusmodi provocare, ut in Sodoma, & Gomorra contigisse videmus; iterum de gravissimis Afrorum peccatis scribens, ea Deum, quasi reluctantem ad illorum interfectionem, & Regni translationem movisse, his gravissimis verbis ostendit: *Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi ut cum Deus eum perdere aduc fortasse nollet, tamen ipsa exigeret, ut periret? Unde & quod Wandali ad Africam transierunt, non est divine severitati, sed Afrorum sceleri deputandum: gravi enim eos, ante quam illuc pergerent, ac longa iniquitate traxerunt.*

13 Et ad hanc causam (non ad Astrorum vim, syderumque influxus) mutationes & declinationes Regnorum referendas esse, piè & doctè, Noster elegantissimus Fr. Joannes Marquez (e) animadvertit, & Simon Majolus (f) in suo colloquio de bellorum eventibus, quem Andraæ Canonherius (g) sequitur, & transcribit, dum habet: *Cum ergo causas periodorum, & mutationum in Imperiis querimus, non procul vagemur animis, nec ad sydera evolemus, sed quid in Ecclesia, politis, & œconomicis fiat, consideremus. Si regnant in Ecclesia falsæ, imple, fanaticæ, blasphemæ opiniones, aut idola, & conflantur inter se docentes: si in politis impure grassantur tyrannides, seditiones, latrocinia, imposturæ, fraudes; & licet culibet, quodlibet: si desident conjuges, & vagis, ac prohibitis libidinibus contaminantur æconomicæ, & adulterantur familiæ: non dubitemus impendere tristes, atroces, & propinquas pœnas.*

14 Justus etiam Lipsius (h) idem tradit, & Deum in Regnis, Regnorumque mutationibus, hæc supplicia exercere: *Præsertim si ii, qui peccant, velut digniora quædam membra sunt, ut Reges, Principes, Magistratus.*

15 Quos, si sua Regna gubernare nesciant, nec ea defendere, vel perdita recuperare, vel justitiam administrare, Regum nomen, & jus amittere, illisque curatorem dari posse, concursus Doctorum sententia, aliquorum jurium auctoritate (i) suffulta, quam securè eo Nostris Gregorius Lopez (k) & Avilesius (l) referunt, & sequuntur.

16 Ita tamen intelligenda, ut nemo præsumat, hac de causa Nos insinuare velle, licitum esse populis, vel privatis, à suis Regibus, legitime Regna possidentibus, rebellare, vel in eorum

(x) Sabellic. ex Livio, & aliis, lib. 8. Æneid. 2. Sigon. lib. 3. de Reg. Ital. Aventin. lib. 4. Bojor. Sigon. lib. 9. & alii. Sirip. rerum German. & Cuspinianus in vita Imp. Paul. Emil. lib. 3. Aventin. 3. Annal. Ranulph. in Polyd. lib. 5. cap. 25.  
(y) Polyd. Virgil. hist. Ang. lib. 18. Cap. grandi, de sup. negl. Præl. plures Auctores apud Me 1. tom. de Ind. jur. lib. 2. cap. 13. num. 52. & seqq. & cap. 22. ex n. 55.  
(z) Eccles. 10. 8.  
(a) Matth. 21.  
(b) D. Aug. in cap. si de rebus, & cap. quemadmodum 23. quest. 7. alii apud Me d. cap. 13. ex num. 53.

(c) Senec. in Thyest. Act. 2. Scen. 1.  
(d) Salvian. lib. 1. de Provid. Dei.  
(e) Marq. in Gubern. Christ. lib. 2. cap. 26. pag. 318.  
(f) Majol. 3. tom. coll. 2.  
(g) Canonher. in Aphor. 1. tom. pag. 614.  
(h) Lips. de Const. lib. 2. cap. 15.  
(i) Cap. Scelus 2. quest. 1. Archid. in cap. Regum officium 23. quest. 5. Innoc. per textum ibi in cap. grandi, de sup. negl.  
(k) Gregor. Lop. in l. 5. tit. 1. part. 2.  
(l) Aviles in cap. 1. Præl. verb. Regimiento, fol. 15. num. 11. & 12.

rum vitam, aut honorem aliquid machinari. Nam licet aliud agens Seneca (m) Tragicus dixerit:

Victima haud ulla amplior  
Potest, magisque optima maclari Jovi  
Quam Rex iniquus.

Hoc pessimi exempli esset, & multis Sacræ Scripturæ locis (n) repugnans, quibus Regibus, etiam malis & discolis, tamquam à Deo missis, obedire jubemur, & eorum Majestatem tamquam Sacrosanctam colere, ac venerari. Circa quod plura dicere supersedeo, quoniam de hoc argumento latissimè Guillelmus Barclayus (o) scripsit, & post Divum Thomam, Concilium Constantiense, Cajetanum, Covarruviam, Gregorium Lopez, Menchacum, Patrem Suarez, Patrem Marianam, Marquez, & plures alios (quos Ego alibi diligenter recensuit (p), qui contrarium asserere hæreticum esse inquit), Jacobus Gordonus (q), qui cum in sua Chronographia, necem illatam Regi Galliæ Henrico III. à Monacho quodam, narraret, cum similis altera contigit in Henrico IV. ann. 1610. sic inquit: *Sed parce, Lector, quisquis es, facere non possum, ut hoc malè feriat hominis, & iniqui percussoris facinus temerarium, vehementer non damnem. Scribant exterarum nationum homines, quæ velint: Ego nullo unquam divino vel humano jure permissum puto, subdito privato, aut civis personæ, his artibus in Principem insurgere, quamvis ille hæreticus foret, ne dum si legitimus, si Catholicus est, si Rex Christianissimus. In scelere nulla Religio est, & malis artibus Divinum Numen nunquam bene colitur.*

17 Joannes quoque Filesacus (r), Doctor Sorbonicus, non minus doctus, quàm pius, lato calamo eandem sententiam probat, & illustrat in suis selectarum libris, & iterum in tractatu de Idololatria Politica, ubi ultra alia benè considerat, propter peccata populi sæpè contigere, ut Principes mali sint, ac proinde patienter ab eodem populo tolerari debere, & insignem locum D. Isidori (s) ad hoc adducit, qui sic habet: *Reges quando bonis sunt, muneris est Dei, quando verò mali, scelcris est populi. Secundum enim meritum plebium, disponitur vita Regum, testante Job. cap. 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Irascente enim Deo, talem Rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Nonnumquam pro malitia plebium, etiam Reges mutantur, & qui ante videbantur esse boni, accepto Regno sunt iniqui.*

18 De eadem etiam re, plura tractat Petrus Gegerorius (t) à Philippo Camerario (u) transcriptus, ubi post alia ita concludit: *Obtemperandum quidem non est Principibus, si contra legem divinam aliquid imperent; sed non idè contra Regiam potestatem, & Regem insurgere oportet. Et ut verè dicebat Livius, de subiectis contra Tyrannos, scutum magis, quàm gladium in eos sumendum esse. Scutum dicitur id omne, quod potest esse pro defensione: gladius pro invasione, & offensione accipitur.*

19 Ad quod potuit allegare illud, quod Alexander apud Curtium (x) peroravit, ostendere volens, multoties in subditos savitiæ, & crudelitatis Principum crimen refundi: *Regum, Ducumque* (inquit) *clementia, non in ipsorum modò, sed etiam in illorum quæ parent ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia, ubi verò reverentia excessit animos, & summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus.*

20 Sed quoniam ex his quos viderim, nemo, Concilii Toletani IV. (y) meminist, quo impius hic ac pravus mos propius Reges necandi, aut deponendi, qui forte inter Gothos irrepserat, gravissimis verbis refertur & execratur, & severo anathematis mucrone damnatur; omnino verba ejus perpetua observatione digna, legi debent, quæ quia longa sunt valdè, hic transcribere piget. Ubi post causas, & rationes hujus discrietæ disciplinae copiosè & eleganter commemoratas, semel, iterum, & tertio (ut geminatio majorem, & enixiorem decreti vim ac voluntatem ostenderet) sic statuit: *Quicumque igitur à nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet conjuratione, vel studio sacramentum Fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gotborum statu, vel conservatione Regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, aut Regem necè attraxerit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumptione Tyrannica Regni fastigium usurpaverit, Anathema sit in conspectu Dei Patris, Filii, Spiritus Sancti, Angelorum, Apostolorum, & Martyrum, atque ab Ecclesia Catholica, quam prophænavit perjurio, efficiatur extraneus, & ab omni catu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis, quia oportet, ut una pena teneat obnoxios quos similis error invenerit implicatos. Neque partem justorum habeat, sed cum diabolo, & Angelis ejus, æternis suppliciis condemnentur, una cum eis, qui eadem conjuratione nituntur; ut par pœna per-*

(m) Senec. in Hercul. Fur.  
(n) D. Paul. ad Rom. 13. ad Tit. 3. D. Pet. 1. 2.  
(o) Barclaj. in lib. de Regn. advers. Monarchomacos.  
(p) Ego 1. tom. de Indiar. jur. lib. 2. cap. 14. num. 48. & seqq.  
(q) Gordon. in Chronograph. pag. 478.  
(r) Filesac. 1. select. cap. 9. de Tyrann. ex pag. 125. lib. 2. cap. 7. Regia Majestas sacrosancta, ex pag. 236. &

de Idol. Polit. per tot. præcipue cap. 9. Populus obsequens.  
(s) D. Isid. lib. 3. Sent. cap. 48.  
(t) Pet. Greg. de Rep. lib. 16. cap. 7.  
(u) Camer. in success. lib. 3. cap. 7. in fin.  
(x) Q. Curt. in vita Alex. lib. 8.  
(y) Concil. Tolet. IV. apud Loissam, pag. 257. & seqq.

perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat, &c. Qui Canon in Concilio Toletano V. (z) repetitur ac renovatur, simulque decernitur, ut in omnibus Synodis peractis, publica voce pronuntietur.

21 Et hæc quidem hæcenus de munere Regio, inhaerentibusque illi curis, oneribus, laboribus ac vigiliis. Quæ sanè efficiunt, ut carmen illud, in quo Job (a) Gigantes sub aquis gemere inquit, D. Gregorius de Principibus aptissime explicet, qui his vigiliis, & angoribus sui muneris pressi, dolent, & gemunt. Quæ etiam animo recogitans Ottho hujus nominis Imperator, dicere solebat: *Se magis mori velle, quàm imperare.*

22 Eademque vocem, aliis, ex intimo pectore excidere, Seneca (b) refert, dum inquit: *Potentissimis, & in altum elatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis preferant. Cupiunt interim ex illo fastigio si tutè liceat descendere: nam ut nihil extra lacessat, aut quatiat, in se ipsa fortuna ruit. Idem docet ipse Seneca, sive ejus Pater, dum in Thieste (c), ait:*

*Stet quicumque valet Potens  
Aula culmine lubrico:  
Me dulcis saturet quies.  
Obscuro positus loco  
Lini perfruar ocio:  
Nullis nota quiritibus  
Ætas per tacitum fruatur, &c.*

Et iterum paulò post (d):

*Mibi crede falsis magna nominibus placent.  
Frustra timentur dura: dum excelsus steti,  
Numquam parere destiti, atque ipsam mei  
Ferrum timere lateris: O quantum bonum est,  
Obstare nulli, capere securas dapes;  
Honi jacentem scelera non intrant casam,  
Tutusque mensa capitur angusta cibus.  
Venenum in auro bibitur, expertus loquor.*

23 Hasque cogitationes de vita quieta etiam habuit Ptolomæus Philadelphus, teste Athenæo (e), qui cum podagra infestaretur, atque alias etiam vel solo Regni munere, se occupatum sentiret, conspiciens in prato otiantes, & ludentes sine ulla cura Ægyptios, & in arena projectos, & in hunc modum exclamavit: *O miserum me, qui non unus de horum numero factus sum.* Quo dicto inuere voluit, privatorum vitam esse multò optimam & quietissimam, Regiæque præferendam, ut & etiam apud Nos suo exemplo ostendit Ramirus Aragonum Rex, dum Regnum relinquens, ad Monasticam vitam, à qua invitatus evocatus fuerat, repedavit, ut latius, post alios, Baptista Fulgosus (f) enarrat.

24 Qua in re, quoniam à multis (g) passim tractata, & illustrata, non est cur amplius immorer, & de ea extant alia elegantissima carmina Angeli Politiani (h), Justi Lipsii (i), & Heresbachii (k), & Ego (l) etiam aliqua non contemnenda congressi in syntagmate de muneribus honorariis.

25 Sed omnium vice, aut loco videre sufficere nobile illud Encomium de ruris laudibus, quod Mapheus Barbarinus, postea Urbanus VIII. felicitis recordationis P. R. scripsit, & inter ejus Poëmata extat ex pagina 158. Qui & idem jam morti proximus aliud non minùs elegans exaravit. Quo villam, seu amœnum Turris novæ secessum, quem optabat, & cogitabat, eleganter describit, & post alia ait:

*Aprice collis an tuo lare excipi  
Mibi licebit, otioque perfrui?*

Senecæ illud (m), ut apparet, animo versans: *Magnam potentiam ambit inexpectus, sed odit expectus.*

EM-

(z) Concil. Tolet. V. cap. 7.

(a) Job cap. 26. ubi D. Greg. cap. 27.

(b) Senec. de brevitate vite cap. 4.

(c) Senec. in Thieste. Act. 2. in fine.

(d) Idem ibidem Act. 3.

(e) Athen. lib. 12.

(f) Fulgosus. lib. 1. tit. de Relig. cap.

(g) Senec. de vita beata, Petrar. de vita Solitaria. &

de remed. utr. for. Dial. 95. Majol. in coloq. Aula & Cau-

la Camerat. 3. subcis. cap. 91. & 92.

(h) Polician. omnino legendus, in Rustico.

(i) Lips. in 1. cent. Epis. Miscel. Epis. 8.

(k) Heresb. de re rust. in princip. Natal. Com. in sua

Mytol. ex pag. 711. ubi de vita privata, & Musis dedi-

ta, & Felisac. in Euripo. cap. 9.

(l) Ego ex num. 91. ad 99.

(m) Senec. epist. ad Lucill.

EMBLEMA XX.  
EXLEX GREX, UBI NON EST REX.



*Lisperdit sata pervolans locusta,  
Regalem inscia ferre corrigentem.  
At componit Apis favos tenaces,  
Quin flori noceat: Regit quidem illam  
Dux examinis: Ecce stat bilanci  
Fausta, vel misera status Coronæ,  
Absit munere, sive Reçtor adsit;  
Si Grex dirigitur, regatvè se ipsum.*

COMMENTARIUS.

**R**egum quidem nomen, ac munus, si, ut oportet, qui illud possident, exequantur, juxta ea, quæ in superioribus observavimus, non in terris natum cogitativè, sed cœlitus demissum videri, rectè Paulus Æmilius (a), & alii (b), post Homerum, Calimachumque considerant. Quod & Tacitus (c) docuit, dum inquit: *Principes enim Imperium à Deo habent; eosque instar Dei esse; & appositè Tertullianus (d): Inde est Imperator, unde & homo, antequam Imperator. Inde potestas illi, unde & spiritus.*

2 Parens enim rerum Deus, cum genus humanum condidisset, summum quidem in illud Imperium, jusque penes se retinuit; sed ut mente in eum sublimes ferremur, ut illud cupidius quæreremus, ut spe, ut votis incederemus, idcirco in terris ipse palam degere, oculisque interea nostris observari noluit, Regesque instituit, qui ejus vice munereque fungerentur, cum non aliter societas humana conjuncta, conspiransque teneri posset, nisi aliquod caput esset, quod sua Sapientia, Fideque & auctoritate, juris pudorem, legum reverentiam, honorum præmium, malorum supplicium curaret, sceleratisque terror, potentioribus frænum, humilioribus præsidium esset, & domi forisque suos in pace, & æquo libramine contineret.

3 Unde in Proverbis (e) Salomon, inquit: *Ubi non est Governator populus corrumpit;* quem locum pluribus Salazarius noster exornat. Et Niloxenus (f) ille Sapiens, rogatus; quid iociter mortales esset utilissimum? Respondit, REX: ad hæc, quas dixi, utilitates respiciens, & id esse proprium veri Principis indicans, ut quantum in ipso sit, nemini noceat, prosit omnibus, seseque totum in populi sui commoditates impendat. Cujus dicti memor fuisse videtur Natta (g) dum dixit:

**N**il  
O  
(a) Paul. Æmil. hist. Franc. lib. 8.  
(b) Plato, Homerus, Callimach. & alii apud Lips. lib.  
(c) Tacit. 3. Annal.  
(d) Tertul. in Apol.  
(e) Proverb. 10. 14. ubi Salazar ex Nazians. & alii.  
(f) Niloxen. apud Erasim. in Adag. Scarabeus Aquilam, pag. mibi 719.  
(g) Natta lib. 3. de Principe.

Nil Rege melius est bono mortalibus.

Et licet postea in alio senariolo tradat:

Nil Rege pejus est malo mortalibus.

Talis tamen ac tanta hujus muneris necessitas est, ut Politicorum (b) Princeps verè dicere poterit: Melius esse, sub malo Principe degere, quam sub nullo.

4 Quod sequutus, aut imitatus videtur D. Chrysostomus (i), inquit: Præstat Regem Tyrannum habere, quam nullum. Et pluribus ornat Eruditissimus noster D. Fr. Antonius Perez (k), ex Benedictino Monacho, postea Abulensis Episcopus, in Relectione quam typis mandavit, De hominum præfectura, docens, humanum genus, ipso communi omnium gentium jure ita dicente, imperiis Regi, præstantique aliqua auctoritate, & potestate moderari necesse esse, indeque infimæ notæ in Sacris Literis haberi, qui Regibus non parent, & jugum societatis Politicæ non patiuntur; & quòd hac de causa dicuntur Belial, id est, inutiles, temerarii, & jugi ac disciplinæ expertes.

5 Et hoc nimirum est, quod nostrum hoc Emblema indicat, & figurat, argumento, & exemplo ex Apum, & locustarum natura non ineptè, ut arbitror, mutuato. Aristotele (l) quippè docente: Omnis ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem: magisque in minori genere, quam in majore videre licet intelligentiæ rationem.

6 Ecce enim turmatim volentem, grassantemque locustarum examen, vel agmen, de quibus Salomon in Proverbis (m) dixit: Regem locusta non habet, & egreditur per turmas suas. Et quamvis in hoc inter se concordiam, atque ordinem servent, ob id ipsum tamen quod Rege carent, totum illarum opus, & studium in pascuorum, ac segetum damnium, & perniciem dirigitur, & convertitur, & ad nihil aliud valent, vel utiles sunt, quod naturæ humanæ conducant. Quin potius, ut Plinius (n) inquit: Deorum iræ & pestis esse videntur. Namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum stridore, ut aliæ aliter credantur, Solemque obumbrant, sollicitè suspectantibus populis, ne suas operiant terras. Sufficiunt quippè vires, & tamquam parum sit maria transiisse, immensos tractus permeant, diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu erodentes, & fores quoque telorum.

7 De qua etiam edaci locustarum, ut & murium pernicie, meminit Arnobius (o): A locustis (inquit) & muribus, omne genus excinditur, atque arroditur frugum. Et Jus Civile (p) in pluribus locis, in quibus de sterilitate, ob hoc damnium proveniente, agit, & an sit sufficiens ad petendam remissionem locati fundi mercedis, vel pensionis? Majolus (q) item, pluresque alii Auctores (r), de earum damnis latissimè agunt, & de exorcismis, quibus Ecclesia ad eas abigendas uti solet, & an sustineri possit consuetudo, quæ in aliquibus provinciis percrebuit, ipsas, & similiter mures, processu prius formato, excommunicandi, & anathematis sententia feriendi, nisi à damni illatione desistant?

8 Unde & in Sacra Scriptura (s) frequens est transeuntis militaris exercitus, cum locustarum examinibus comparatio, & quidem aptissima, cum & locustæ, quasdam veluti militum galeas in capite portant, quamobrem à Columella (t) Galeatæ appellantur. Et exercitus, loca per quæ transitum faciunt, non secus ac locustæ vastare solent; ut ex aliquarum legum (u) serie, & bonorum Auctorum testimoniis latè & doctè Jacobus Rævardus (x), & Radulphus Fornerius (y) observant.

9 Et de locustis, quibus Divus Mathæus tradit Sanctum Joannem Baptistam in Erempatum, est videndus Divus Isidorus Pelusiotæ (z), qui non de his animantibus, scarabeis similibus, accipiendum putat: ut imperitè multi opinantur: Sed de barbarum, plantarumvè summitatibus, quod aliis discutiendum relinquo.

10 Quæ tamen omnia, quam se aliter in Apibus habeant, hoc etiam, ut vides, Emblemate denotamus. Nam quia Regem habent, cui parent, quemque gregatim sequuntur, ubi de suis alveis excedunt, nullum nocumentum fructibus, & frugibus inferunt, quas suis delibant rostris, & ex quibus sua mella conficiunt, & humano generi in pluribus commodant. Atque ideo cum à multis, in multis, passim operosus, laboriosus, ac fructuosus Apum grex laudari, extollique soleat, in hoc tamen, quòd Regem habeant, illique mirum in modum pareant, & obediunt, & pro ejus salute tuenda pro-

(b) Tacit. lib. 1. Hist.

(i) D. Chrysost. in homil. ad pop. Antioch.

(k) Ant. Perez in Laurea Salm. cert. 5. num. 20 pag. 273. Ego 1. tom. lib. 2. cap. 9. num. 66. Matth. Scholast. de vero, & Christian. Princip. lib. 1. cap. 1.

(l) Aristot. de Histor. anim. lib. 9. cap. 7. Senec. lib. 1. declam. cap. 19. Cassiod. lib. 5. epist. 33. Just. Imp. in Novel. 90. in princip. & omnino carmina Menandri apud Stob. Serm. 96.

(m) Proverb. 30. 27.

(n) Plin. lib. 11. cap. 29.

(o) Arnob. lib. 1.

(p) L. Exceptio, C. de locat. l. ex conducto, §. si vis, l. si merces, §. vis major, D. locat. ubi Bud. & Gothof.

(q) Majol. colloq. 5. & 7.

(r) Medic. de fori. casib. 2. part. quest. 6. Carroc. de locato, tit. de remis. merced. quest. 2. Cassan. latissimè cont. 1. per tot. Durant. Cossel. lib. 2. var. cap. 10. Noster D. Joan. de Quisones in suo tract. de las langostas, & Gasp. Navarvus in tract. de superst. disp. 32.

(s) Judith 1. Jerem. 46. Amos. 7. Nahum. 3.

(t) Colum. apud Salazar d. cap. 30. vers. 27.

(u) L. damnium, C. de locat. d. l. ex conducto, vers. Idemque.

(x) Rævar. lib. 3. conject. cap. 6.

(y) Radulf. Forn. lib. 1. conject. cap. 29.

(z) Pelusiot. epist. 132.

propriam vitam exponant præ ceteris commendatur, ut pulchris verbis, latè earum naturam scribens, Plinius (a) ostendit; & pulchrius Virgilius (b), sic post alia seu digna, quæ de eisdem commemorat, ca-

Præterea Regem non sic Aegytus, & ingens  
Lydia, nec populi Parthorum, ac Medus Hydaspes  
Observant: Rege incoluni men omnibus una est:  
Amisso rupere fidem; constructæ mella  
Disipuere ipsæ, & crates solvere favorum.

Idem ipsum designat Claudianus (c), sic inquit:

Stridula ductorum pratis exaina Regem  
Nascentem, venerantur apes, & publica mellis  
Jura petunt, traduntque favo.

11 Neque abest Seneca (d), qui vel ex hoc exemplo infert, quàm sit naturalis, & antiqua Regum inter homines constitutio: Natura (inquit) emmentata est Regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex apibus, quarum regi implissimum cubile est, medioque, & tutissimo loco. Mutis gregibus, aut maxima corpora præsent, aut vehementissima: non præcedit armenta degere taurus: elephantorum gregem excelsissimus ducit. Idem in ovibus, in avibus, & alio genere congregum animantium, est videre.

12 Et quòd magis mirere, de eisdem apibus D. Ambrosius (e) addit, quòd ipsæ se multant, & maciant, si forè suo Regi non obediunt, verba ejus hæc sunt: Apes ille, quæ non obtemperaverint legibus Regis, penitenti condemnatione multant, & immoriuntur aculei sui vulnere: quod Persorum populi bodieque servare dicuntur, ut pro commissi pretio, in se propriæ mortis exequantur sententiam. Non Indi, non populi Sarmatarum tantam quantam apes reverentiam devotionis observant. Amisso Rege fidem servandi mures derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiunt, quòd is qui Principatum habuit muneris moruus est.

13 Hoc etiam latè plures Auctores, & præcipè Geoponicus (f), scripsere, sed præstat Ælianum (g) audire, qui ad Emblematis nos à intuitu magis accedens, sic habet: Quoad Rex vivit, tamdiu examen apum pace fruatur, omnique ordinis perturbatione caret: fuci suis cellis libenter se continent, seniores suum locum habent, natu minores etiam suum. Rege extincto, omnia perturbantur.

14 Unde jam vel à mutis, & minutis hisce annalculis discere possumus, quàm sit existentia, præsentiaque Regis in Republica hominum utilis, & necessaria, cum juxta supra relata, & illud Ovidii (h):

Amisso dubiè Rege videntur apes.

Quod Seneca (i) ad animum, sive caput humanum (cujus officium in Reipublicæ corpore Regem præstare supra (k) probavi) sic elegantissimè instulit: Quo incoluni cetero hominis manent in officio, pareret, obtemperant: si ille vacillat, mutant omnia.

15 Et iterum (l), eodem apud exemplo, cum Virgilio utens, in alio loco, cujus jam supra verba (m) retulimus, prudentissimè docens, non sineratione populis, urbibusque hunc esse consensum, sic protegendi, amandique Reges, & se, suaque factandi, quocumque desideraverit Imperantis salus, cum hæc utilitas sui sit, suamque in ea incolumitatem amet: Ille est enim vinculum per quod Respublica coheret, ille spiritus atalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si mens illa Imperii subtrahatur.

Rege incoluni reus omnibus una,

Amisso rupere fidem.

Hic casus Romanæ pacis exitium erit, hic tantæ fortunæ populi in ruinas aget. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu scierit ferræ frenos. Quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos, reponi sibi passus non erit, hæc unitas, & hic maximè Imperii contextus in partes multas dissiliet: idemque buit urbi dominandi inis, qui parenti fuerit.

16 Et ut hoc ipsum non solum exemplis, & doctrinis, sed experientia quoque (quæ optima rerum magistra ab Aristotele (n) dicitur) Persæ manifestarent, in more habuerunt, ut Suetonius (o), Stobæus (p), & alii testantur, Rege mtuo, per dies quinque (vel octo), ut Germanus tradit) permessa licentia, judiciis, legibusque populorum solvere, quibus destituti, incerto rerum ordine jactabantur, & ita cognoscebant quanto tutius atque commodius sub legibus, & Regibus versarentur.

17 Neque in obscuro idem ipsum Sacra Literæ (q) reliquerunt, in quibus multoties, ad exul-

O 2

(a) Plin. lib. 11. cap. 17.

(b) Virg. 4. Georg.

(c) Claudian. in 4. Consul. Honor.

(d) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 19.

(e) D. Ambros. 5. Hexam. cap. 21. & 25.

(f) Geopon. de Apibus lib. 11.

(g) Ælian. lib. 15. de hist. anim. cap. 11.

(h) Ovid. 3. Fastor.

(i) Senec. epist. 114.

(j) Sup. Embl. XIII.

(k) Idem Senec. lib. 1. de Clem. cap. 4.

(l) Sup. d. Embl. XIII.

(m) Arist. 1. Metaph. 1. & 2.

(n) Suet. in Calig. cap. 5.

(o) Suet. in Calig. cap. 5.

(p) Suet. in Calig. cap. 5.

(q) Selinus apud Stob. serm. 42. Cerd. ad Virgil. super pag. 510. num. 7. Coning. in Polit. 2. part. cap. 2. pag. 14.

(r) Paralipom. 15. Daniel. 3. 28.

exulceratissimum, valdeque calamitosum Reipublicæ statum describendum, & lamentandum, nihil magis exprimitur, & defletur, quam quod in ea non sit Princeps, nec Dux, nec Doctor, nec Propheta, nec holocaustum, quasi his deficientibus, reliqua quoque deflicere, & pessum ire necesse sit; hominesque tamquam feras vagari, qui cum suapte natura frequentier in multas feras degenerent, & ut cum *Divo Chrysostomo* (r.) loquar, tamquam asini recalcitrent; lasciviant ut tauri; tamquam equi post mulieres hinniant; venti velut ursi indulgeant; & ut mulus carnem impingent; & malam memoriam teneant, ut cameli; rapiant item ut lupi; ut serpentes irascantur; feriant ut scorpiones; sint subdoli, ut vulpes: nequitiam verò tamquam aspides habeant; & ceu vipera venenum servant, & sicut ille malignus demon fratres impugnet, nullo alio modo, quam legum ac Regum freno in his vitis temperari, & comprimi possunt; eoque vel spreto, vel deficiente, in illa omnia facile prolabantur.

18 Quia secundum aliam ejusdem (s) sancti Patris doctrinam: *Sicut si Gubernatorem à navis separaveris, scapham submersisti, & si Ducem ab exercitu abducas, victos hostibus tradidisti milites, ita si Principes, seu Magistratus de civitate abstuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam inter nos mortales, & nos devorantes, pauperiorem poterit, mansuetiorem audacior.*

19 In quam eandem sententiam respiciens Habacuc (t), homines crudeles, & pauperes devorantes, piscibus & reptilibus comparat, apud quos hoc in usu: *Quia non habent Principem.* Et Isaias (u), civitatis miserum statum prius deplorat, quæ vel Principes non habet, vel infideles habet, socios furum, munera diligentes, sequentes retributiones, pupillis non judicantes, & ad quos viduarum causæ non ingrediuntur. At postea, cum horum malorum miserus Deus, eis medicamen adhibere dignatus fuit, subdit: *Et restitui judices tuos, ut fuerunt prius, & Consiliarios tuos, sicut antiquitus: post hæc videris Civitas justa, urbs fidelis, &c.*

20 Qua utriusque temporis sive status civitatis collatione, satis aperte deficientium Principum damna, & presentium, suamque munus recte gerentium, utilitatem, & necessitatem ostendit, neque aliter justum, & fidelem Reipublicæ statum consistere posse, prout latius docet idem D. Chrysostomus (x) illum locum exponens, & sic inquit: *Vebementissimi morbi signum est, & oblique perversitatis, quando hi, quorum est ex officio mederi, inferunt morbos. Principum enim est licenciosam, & inconditam populæ rebellionem comprimere, & in officio continere, ut ad legum formulam obsequentes redant. Jam quando isti depræbentur primi in prævaricatione legum, quoniam pacto alii possunt esse Doctores? Et infra: Unde reliquam insuper medele speciem addidit, neque intempestivè, videlicet, administrationem, seu Prefecturam probatorum Principum, & Consiliariorum copiam, qui boni sint, & partes civitatis ad pristinam reddant sanitatem, dum obsequenter parent medicamentis, Medicique adsunt quam optimi. Beneficii non mediocri loco habendum est, si contingat nascisci Principes bonos.*

21 Quod ultimum Plinius Junior (y), licet Ethnicus, etiam præsensit, dum dixit: *Quil præstabilius est, aut pulchrius Deorum donum, quam castus, & sanctus, & Dis simillimus Princeps? Ac si adhuc dubium fuisset sorte casuque Rectores terris, an aliquo numine darentur, Principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum, non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram, ac palam repertus, electus est.*

22 Unde rejiciendus est Thomas Morus (z), qui postquam in examen vocavit, an Respublica melius per Regem, vel per Senatum regatur, prius querendum deficientiumque esse inquit, an tales Rectores habere expediat? Et cordatius loquutus videtur Baptista Mantuanus (a), qui valde his quæ diximus coherentem, sic eccegit:

*Nil optare potest inquam Respublica pejor  
Rege malo: nil Rege bono præstantius, omnis  
Dissipat omne bonum sine lege licentia Regum  
Ut Boreas frondes, glacialis & bordea grandæ.  
Libertas est summa bonis sub Principe justo  
Felicis igitur populi, quos vivere Divi  
Concedunt sub Rege pio.*

23 Et ex hac doctrina descendit alia, quam prudentes quique Politici probant, nempe non nisi rarò, & ex magna causa debere Reges extra suam Regum abesse, ac peregrinari. De qua, quia pluribus egit P. Joann. Antonius Velazquez (b), ad cum Lectorem remitto, & ad ea, quæ inferius (c) adducam, & quæ plenè, & doctè Guillelmus Barclajus, Joannes Baricabus, & alii, adversus Buchananum, Brutum, Boucherium, & alios Monarchomachos scripserunt.

E.M.

(r) D. Chrysost. in homil. ad pop. Antioch.

(s) Idem Chrysost. in Exod. hom. 6.

(t) Habac. cap. 1. 13.

(u) Isai. 1. 23. &amp; seqq.

(x) D. Chrysost. super Isai. cap. 16.

(y) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan. in princ.

(z) Thom. Morus in Epigr.

(a) Mantuan. lib. 1. Sylva.

(b) Velazq. de Opt. Princip. lib. 3. annot. 10. ex pag. 356.

(c) Infr. Embl.

## SAPIENTIA PRINCIPIS, SALUS POPULIS.



*Larga capillis cernis Apollinem  
Unda natantem. Gramina dulcia  
Funduntur: Affert hæc ruina  
Gentibus innumeris salutem  
Prudens Apollo Rex populi erit,  
Pluant habenæ si Sapientia,  
Effundent addictis profusè,  
Et Panacæa fluens, & aurum.*

## COMMENTARIUS.

**S**I talis ergo ac tanta est Regis cujuslibet, etiam minus bene morati, utilitas & necessitas, ut in præcedenti Emblemate vidimus, satis jam liquere videtur, quanto erit utilior, qui Regio nomini, boni quoque, prudentis ac sapientis, sui-que populi amantis, titulos & effectus adjungat. Quod, licet Scurra ille à Vopisco (a) relatus, difficilè judicavit, dum dixit: *In uno annulo bonos Principes omnes sculpi posse.* Sentiens, esse quidem magnum eorum numerum, sed in his per paucos bonos repertos fuisse. Adhuc tamen, qui à Deo in hujusmodi fastigium evchuntur, consternari non debent, sed pro virili conari, se dignos tanti muneris ministros exhibere, & majorem gloriam ducere, si vel inter illos paucos numerari meruerint, & ab illa generali malorum regula excipi.

(a) Vopisc. in Aurel.

Quo

2 Quò præsens hoc nostrum Emblema dirigitur, ex Callimacho (b), Græco Poëta, desumptum, qui in suis ad Apollinem hymnis, illum mirum in modum celebrat, quasi Panacæam hominibus de cælo ex crinibus irrorantem, sic felicem esse civitatem insinuans, ac veluti præsentissimo pharmaco ab omnibus damnis, & vitis immunem, in quam ipsius Moderator & Rector, Apollinis instar, qui & Medicinæ, & omnigenæ Sapientiæ pater à veteribus colebatur, ejusmodi guttas, & salutes suæ gubernationis effectus emisit, & in commune bonum instillare curaverit.

3 Est autem Panacæa, sive Panax, herba quædam, cujus succus *Oppopanax* vocatur à sanandis omnibus morbis, aded ut vel ipso nomine omnium morborum remedia promittat, ut, post Plinium (c), tradit Dioscorides (d), qui ejus folia admodum odorifera esse dicit, & ad eam alludens Virgilius (e), sic ait:

*Ambrosios succos, & odoriferam Panacæam.*

Et Lucanus (f):

*Et Panacæa potens, & Thessalla Centaura.*

Unde & fabulæ ajunt (ut doctè Cerda (g) noster animadvertit) hanc herbam, & aliam *Jasson*, à Medicis dictam, filias fuisse *Æsculapii*, & *Aristeni* (h), Medicum quemdam, *Panacion* vocavit, subdens: *Suo verè nomine dignum Medicum.*

4 Quod etiam nomen Regibus dari solitum, quia sunt vel esse debent, veluti suæ Reipublicæ Medici, pluribus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum locis Patres *Pineda* (i), & *Sancta-Maria* (k) probant, & prosequuntur: quibus *Patritius* (l), quoque *Senensis* aridet, Reges vocans, & faciens, *Universales Medicos suæ Reipublicæ*. Et hoc munus veluti agnoscens *Claudius Drusus* quintus Romanorum Imperator, ut *Suetonius* (m) in ejus vita commemorat, uno die viginti edicta proposuit, quorum altero monebat, ut ubere vinearum proventu benè dolia picarentur: Altero, nihil æquè facere ad viperæ morsum, quàm taxi arboris succum.

5 Et cum nostra Panacæa ex Apollinis capillis plente, convenit, quod non dissimili ratione Antiqui fabulabantur, nempe *Pallade*, de *Capite Jovis* nascente, *Rhodi* magnam auri vim pluisse. Quò respicit illud *Claudiani* (n);

*Auratos Rhodiis imbres, nascente Minerva,  
Indulsisse Jovem perbibent.*

Nam ubi nascitur *Sapientia*, & *Prudentia*, quæ per *Minervam* representatur, non possunt non populis opes, & animi, & corporis copiosè parari, ut valdè ad rem nostram *Stephanus Forcatulus* (o) explicat.

6 Quorum salus ita Deo est curæ, ut *Themistio* (p), & *Synesio* (q) testantibus, non solum Panacæam, vel aurum, sed heroicas quasdam, ac divinas animas certis temporum vicibus ad eorum bonum, & meliorem gubernationem è cælo in terras mittere soleat, quod & *Ecclesiasticus* (r) sentit, dum dixit: *In manibus Dei Potestas terræ, & utilem Rectorem suscitabit in tempus super illam.*

7 Quinimò sæpè quoque legibus contigisse, Deum Optimum Maximum Principes bonos, quos ad Regium culmen evexit, privilegio, facultateque sanandi varios subditorum suorum morbos agritudinesque donasse, ut de *Alexandro Magno*, *Octavio Augusto*, *Pyrrho*, *Vespasiano*, *Hadriano*, & aliis, *Stephanus Forcatulus* (s), *Didacus Valdesius* (t), *Andreas Laurentius* (u), *Philippus Camerarius* (x), & alii (y) plures scribunt. Inde ad strumarum, sive chædarum (vulgò *lamparones*) curationem descendentes, quam sivi Christianissimi Galliæ Reges peculiarem esse volunt, cum tamen & Angli eandem habuerint, & gloriosissimi Hispani nostri habeant, simul cum charismate dæmones expellendi, ut latius, pluribus relatis, Ego (z) alibi animadverti, & novissimè prosequitur *Theodorus Hopingus* (a), alia quoque subjungens, quæ ad hunc articulum pertinent, & perpetua nota digna esse videntur.

8 Nos nostri filium repetentes, in Rege bono Beneficium illud sydis consideramus, ad quod certatim (ut alibi cum *Seneca* (b) diximus) populi advolant, & ex quo salutis ac lætitiæ causas

(b) Camil. in hymnis, vide *Crujerium in hortu virt. sive Centur. quest. Polit. cap. ult.*

(c) Plin. lib. 25. cap. 5.

(d) Dioscor. lib. 3. cap. 51.

(e) Virgil. lib. 12. *Æneid.*

(f) Lucan. lib. 9. *Phars.*

(g) Cerda. in d. loc. *Virgil.*

(h) *Aristinet. lib. 1. Epistolar.*

(i) *Pineda. de reb. Sal. pag. 112.*

(k) *Sancta Maria in Polit. Christ. pag. 20. & seqq.*

(l) *Patric. de Regu. lib. 2. tit. 3.*

(m) *Sueton. in Claud. cap. 16.*

(n) *Claud. in 3. Paneg. Silic.*

(o) *Forcat. de Gall. Imp. & Philosoph. lib. 1.*

(p) *Themist. orat. 9.*

(q) *Sines. 1. lib. de Provid.*

(r) *Eccles. 10. 4.*

(s) *Forcat. ubi suprâ, pag. 125.*

(t) *Valdes de dig. Reg. Hisp. cap. 16.*

(u) *Laurent. in tract. de curat. strum.*

(x) *Camer. 3. subcess. cap. 42.*

(y) *Bias in Sylva Regia, & ejus comment. & latè Hoping. statim citandus.*

(z) *Ego 1. tom. de Indiar. gubern. lib. 2. cap. 25. numer. 30. & seqq.*

(a) *Theod. Hoping. de jure insign. cap. 18. §. 7. per totum, ex pag. 904.*

(b) *Seneca lib. 1. de Clem. cap. 3. Ego sup. Embl. XII.*

urbes subditique recipiunt, cujusque conspectu, non aliter recreantur, quàm solent nautæ conspectis illis gemellis fratribus, qui cum navibus insederunt:

*Tumida æquora placant,  
Collectasque fugant nubes, Solemque reducunt.*

9 Talem quidem suum *Agamemnonem* pingit, & laudat *Homerus* à *Xenophonte* (c) perpensus, quòd non suam, sed suorum utilitatem, felicitatemque curaret. Talem suum *Siliconem* *Claudianus* (d) dum inquit:

*Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,  
Prospera non fessis optantur flamina nautis,  
Ut tuus aspectus populo: nec nonine tanto  
Litora fatidicas attolunt Delia lauros,  
Venturi quoties effulsit Apollinis arcus.  
Nec sic aurifero Pactoli fonte tumescit.  
Lydia, cum domitis apparuit Erius Indis.*

10 Quo circa non indigna est prudentium consideratione illa loquendi formula, quæ *Fortunam* publicam à Principe accersit, ipsiusque auspicio hominum fata meritur. Sic enim inter exquisitas laudes, quas *Augusto* sui tribuebant, sive verè, sive per adulationem, inquit *Suetonius* (e), quòd dicere solebant: *Per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.*

11 Quod & *Virgilius* (f) de eodem loquens, latius exposuit, atque expressit, sic inquit:

*Hoc ferrea primum  
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.*

Et postea:

*At Tibi prima puer nullo munuscula cultu  
Errantes hæderas passim cum baccare tellus,  
Mistaque rediti colocasia findet acantho.  
Ipsæ lacte domum referent distentia capellæ  
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.  
Ipsa tibi blandis fundent cunabula flores.  
Occidet & serpens, & fallax herba veneni  
Occidet, Assirium vulgò nascetur amomum.  
Molli paulatim flavescet campis arista,  
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
Et dure quercus sudabunt roscida mella, &c.*

12 Quem sequutus *Horatius* (g), luculentius adhuc, eundem *Augustum* reducem in urbem desiderat, & bona perpendens, quæ illius adventus eidem urbi allatura erant, sic ait:

*Lucem redde tue Dux bone patriæ.  
Instar veris enim vultus ubi tuus  
Affulsit, populo gratior it dies,  
Et soles melius nitent, &c.  
Tutus bos etenim rura perambulat,  
Nutrit rura Ceres; almaque faustitas:  
Paccatum volitant per mare nautæ:  
Culpam metuit fides  
Nullis polluitur casta domus stupris,  
Mos & lex maculosum edomuit nefas  
Laudantur simili prole puerperæ  
Culpam pœna premit Comes &c.*

13 Et uterque in hoc *Homerum* (h) imitatus videtur, qui hos, & similes alios bonos effectus ex bonis, & rectis Principibus promanare, his aperit verbis:

*Sicut per celebris Regis, qui numina curat  
In multisque probisque viris jura aqua ministrat.  
Ipsa illi tellus nigricans, prompta, atque benigna  
Fert fruges, segetesque, & pomis arbor onusta est;  
Proveniunt pecudes, & suppeditat mare pisces;  
Ob rectum Imperium populi sors tota beata est.*

Quod

(c) *Xenophon. lib. 3. memorab. Socrat.*

(d) *Claud. lib. 3. de laud. Silic.*

(e) *Sueton. in Aug.*

(f) *Virgil. Eclog. 4.*

(g) *Horat. Od. 5. lib. 4.*

(h) *Homer. in Odiss. vide Saaved. in id. Polit. Empres.*

13. pag. 88. & Lips. in *Monit. Polit. lib. 2. cap. 9. de*

*Just. in princip.*

14 Quod veluti agnoscentes Mexicani quondam Indi, alioqui Barbari, in suorum Regum, sive Motezumatum inauguratione, ut Gomara (i) refert, eos jurat cogebant, vasallos non opprimere, in bellis se fortiter gerere, Solem suum cursum, splendoremque conservare facturos, nubes pluere, amnes fluere, terramque abundanter suos fructus referre, quasi hac omnia ex Regibus pendeant, vel certe eisdem cœliis concedantur, si juæ ac piæ, ut debent, in commisso sibi se munere gerant.

15 Neque est mirum hoc Barbaris opinatum, cum Pacatus Deponius (k), impio licet palpo, ausus fuerit dicere, Deum participem esse Majestatis Imperatoriæ, & insuper addat, non minus adulatoriè: *Illud dicant, quod intellexisse hominem, & dixisse fæ est, talem esse debere Imperatorem, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata, vel publica vota redduntur, à quo petit navigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pagaturus auspiciam.* Et iterum: *Nullam majorem esse Principem felicitatem, quam fecisse felicia, & intercessisse inopie, & fortunam vicis, & dedisse homini novum fatum.* Leo etiam Imperator (l), interdum naturæ injuriæ affectæ auxilium præstare Principes dixit, & Cassiodorus (m): *Sub clementia boni Principis nihil constat licere fortuitis, quando sinistros casus corrigunt, quæ præstare prosperrimè consueverunt.*

16 Et sunt adhuc magis ad rem verba alia Ferdinandi Percii de Guzman (n), dum inquit: *Ca mi gruesa, i material opinion es esta, que ni buenos temporales, ni salud, no son tanto provechosos, y necesarios al Reino, como justo, i discret Rei, porque es Principe de Paz, &c.*

17 Quod si, quis, qualisvè esse debeat hic Princeps, que BONUM vocamus, & optamus, inquiras? Ejus perfectam Ideam Xenophon in suo Cyro & Plutarchus in suo Agesilao scriptam reliquerunt; & Nos in antedictis (o) satis expressimus legendique erunt D. Thomas, Ægidius Romanus, Lælius Cæchus, Cagnolus, Fracheta, Ribacœira, Ossorius, Bellarminus, Tympius, Mathæus Lopez Brabus, Marcus Antonius Petilius, Joannes Antonius Velazquez, & innumeri alii, qui tum nostris, tum antiquis temporibus, de Regum officio, & institutione peculiare tractatus ediderunt.

18 Et sanè Veterum Philosophorum Apophthegmata, quæ hanc eandem quæstionem concernunt, & latè à Lycosthene (p), & Beyerlinchio (q) congeuntur, eò tendunt, ut Bonum Principem faciant, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, in Iram, Venerem, propriosque alios affectus, imperium & temperatio, cauta credulitas, in cives proprios clementia, & benevolentia, & ut verendus sit illis, magis quam metuendi; ita ut metuant non ipsum, sed pro ipso, patriæ legum usus & observatio, justitiæ cultus, alienis abstinencia, & denique ut intelligat, Republicam non esse suam, sed se Reipublicæ, nec perpetuè in Imperio duraturum.

19 Sed quoniam nemo ex his, quos viderim, plenius, aut relius Boni, Politici, ac Perfecti Principis partes, & epitheta, quàm Julius Pollux (r) ad Commoam Cæsarem scribens, exposuit, placet illius verba juxta Erasmi Roterodami versionem, inserere quæ sic habent. Regem laudato his titulis: *Pater, mitis, placidus, lenis, providus, æquus, humilis, magnanimus, liber, pecuniæ contemptor, baud obnoxius affectibus, sibi ipsi imperans, domans voluptatibus, ratione utens, acri judicio, perspicax, circumspectus, valens consilio, justus, sobrius, Numinum curam agens, hominum negotia curans, stabilis, firmitus, infallibilis, magna coctans, auctoritate præditus, industrius, confector negotiorum, sollicitus pro his, quibus imperat, servator, promptus ad beneficentiam, lentus ad vindictam, certus, constans, inflexibilis, proensus ad justitiam, semperque attentus ad id quod de Principe dictum est, libræ in morem, facilis aditu, comis congressu, commodus alioqui volentibus, blandus, expositus, curam agens suo parentium imperio, amans militum suorum, qui strenuè quidem bellum gerat, sed qui bellum non affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populis mores, qui Ducem agere norit ac Principem, qui leges salutare sciat condere, notus ad venè merendum, divina specte. Sunt autem multa, quæ oratione dici possint, singulis vocabulis explicari non possunt.* Hactenus Julius Pollux cujus aurea verba ex metro carmine donata reperio apud Jodocum Damhoudarium (s).

20 Eisque Seneca Tragicus, & Claudianus mirè conveniunt, in locis à Me jam supra (t) citatis. Dignus quoque est, ut silentio non involvatur Guntherus (u), qui sub occasione elec-

(i) Gomara Hist. Ind. part. 1.

(k) Drepan. in Paneg. ad Theod.

(l) Leo Imp. in Novel. de pan.

(m) Casiod. lib. 12. epist. 7.

(n) Fern. Pérez en sus Claros Varones, cap. in fine fin.

post. hist. Reg. Joan. 2.

(o) Pined. de reb. Salom. pag. 112. & seqq.

(p) Lycost. in phoph. verb. Princeps, ex pag. 702.

(q) Bejerl. in 2e. eod. verb. pag. 618. & seqq.

(r) Jul. Pollu. in Onomast. pag.

(s) Damhoud. n. praxi crim. pag. 70.

(t) Sup. Emb. XVI.

(u) Gunther. n. Ligur. lib. 1.

electionis Imperatoris Friderici I. sic habet:

Nobilitate viget, claroque hinc sanguine Reges,  
Inde Duces contigit arcus: faciendia dulcis,  
Forma nitens, animusque sagax, manus imprigra, sollers  
Consilii, belloque ferox, & pace modestus,  
Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,  
Certus amor, robusta fides, constantia mentis  
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis.  
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,  
Tranquillus placidis, justis pius, asper iniquis,  
Fortis ad instantes casus, prudensque fururi,  
Præteritique memor, sociis bonus, impiis hosti, &c.

Et Moralis ille Civilisque Sapientiæ Præceptor (x), dum inquit:

Qui cæde gaudent, Regianque rem putant  
Sevire, longè Regia errant via:  
Cum sit verendo Rege dignius nihil,  
Quam juris, atque moris humani memor  
Clemensque pectus. Inde Majestas trahit  
Sublime lumen. Nec Magis potentiam  
Vis ulla firmat, atque Parentum favor  
Virtute partus, proximè itur ad Deum  
Bonos beando; non habet majus bonum  
Fortuna Regum, quàm salutem plurimis,  
Quod fas habent donare, quod lethi metu  
Levare cives. Hæc adorea, hic bonos  
Præstat triumphis, omnibusque laureis, &c.

Extant etiam inter Monastica Throcaica à Jano Grutero edita, quædam seriè Alphabeti digesta, quæ optimi Regis conditiones expriment; quæ hic indicasse sufficiat, cum plus æquo proluxa videantur.

21 Sed quorsum ultra in salutaribus effectibus probandis immoror, qui per bonos Principes populis impertiuntur, cum satis hoc vel ex sola Ecclesiastici (y) doctrina firmetur, apud quem legimus: *Judex Sapiens judicavit populum suum, & Principatus sensati stabilis erit: & civitates inhabitabuntur per sensum Potentium.* Quo loci Religiosus pariter ac doctus Noster Pater Joannes de Pifa (z), plura alia Sacra Scripturæ loca ad idem diligenter expendit, & est valdè suprâ dictis coherens illud Proverbiorum (a): *Rex justus erigit terram; vir avarus destruet eam.* & quod in libro Sapientiæ (b) dicitur: *Rex Sapiens stabilimentum populi est, nimirum propter bonos effectus, qui ex bonorum, ac justorum Regum administratione, & gubernatione resultant.* De quibus etiam erudite agit Pater Joannes Pineda (c), hinc multis Solomonem extollens, quod Sapientiam solam à Deo postulaverit, quasi hoc Domum ad benè & justè administrandum Regnum sibi concessum, & subditos beatos reddendos, potissimum esse cognoscens: prout & Plato (d) fecit, cum examinans suum illum perfectum Principem, gubernandæ civitati præfectum, Amatorem quidem civitatis illum requirit, in voluptatibus, doloribusque probatum, sincerum, incorruptum, & tamquam aurum in igne examine comprobatum: id tamen super omnia desiderans, ratumque haberi volens: *Optimum Philosophum, id est Sapientem esse debere.* Cujus doctrinam sequens, longaque oratione illustrans Themistius (e), postquam, veluti ad rorem Panacææ nostri Emblematis respiciens, Reges, quos Musæ respexerint, *alumnos Jovis* appellat, & ex illorum lingua suavissimum rorem distillatum in vasallos confirmat, non quidem illos ex corporis statura, orisvè pulchritudine, aut aliis modis risu dignis, quos aliqua nationes introduxerunt, probandos, eligendosvè esse concludit; sed ex Sapientia & Philosophia, quæ ipsa cum primis subditos præstantiores effectus communicat: & Reges præterea ipsos, magis quàm Tyara, & aureus Acinaces ornat, & magis securos, quàm lictores, satellites, speculatores, aut perpetuus quidam morientium militum numerus reddit.

P

EM-

(x) Præcept. moral. Sap. lib. 2. Monit.

(y) Eccles. cap. 10. vers. 1. & seqq.

(z) Pat. Pifa sup. Eccles. pag. 528. tom. etholog. 114.

per tot.

(a) Proverb. 29. 4.

(c) Sapient. 6. 26.

(e) Pined. de reb. Salom. pag. 111. & seqq.

(d) Plat. Dialog. 6. de Repub.

(e) Themist. Orat. 11. & 14.